



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Sanguinarius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A spectasse tantum ignem. Hanc Veneri sacram ait Athenæus, quam Stilpon Philosophus Megarensis Neptuno cum immolasset, promeruit ut ea civitas magno Apuarum proventu fuerit à Deo locupletata.

DE HIRUDINE. CAP. XXVI.

Hirudo quoque aquaticum animal, cujus plurimus in medendo usus, significata quædam habet hieroglyphica.

SANGVINARIUS. CAP. XXVII.

CRudelissimum siquidem hominem, & humani cruoris avidissimum, per eam significari notus est, quam adnotare oportet. Et Cimeta apud Theocritum, Pharmaceutria, quam Poëta transtulit ex Euphorionis Mimis, non aliter ab Amore sibi sanguinem exuctum lamentatur, quam si limosa Hirudo corpori suo applicata fuisset:

Αἰ δ' ἔως ἀνιὰρὲ πύρρ' ἕλκ' ἐκ γούρ' αἵμα
Ἐμφύετ, ὡς λιμναίης ἀπ' αὐτῆς ἐκδύδ' ἀπέπικ' αἷμα.
Heu crudelis amor, nostro saturate cruore,
Summa affixa cui velut hunc suxisset Hirudo.

INSATIABILITAS. CAP. XXVIII.

VERum ea etiam insatiabilitatis est signum, quandoquidem ad factum admota non prius ab opere defisit, quam tota sit supra modum sanguine tumefacta, quod ita expressit Horatius:

Non missura cutem nisi plena cruoris Hirudo.

In fine de
art. post.

DE LEPORE MARINO.

MINIMA DE CAUSA EXANIMATUS: VEL DAMNA MUTUA.

CAP. XXIX.

QUI marinum Leporem pingunt humano tactum digito, mihi videntur significare voluisse, vel hominem minima de causa exanimatum: quandoquidem ferunt eum, qui non modo digito, verum etiam virga Leporem marinam attigerit, quam primum eum exanimascere, & nisi promptuarium sit remedium, etiam mori. Vel mutua damna ex eadem pictura libet interpretari: nam hieroglyphicum hoc apud veteres non inveni: quia humanus tactus Lepori etiam est exitialis, in Indico præsertim mari, ut à Licinio Macro traditum ait Plin. Ita nusquam non mollis Lepus. Nam & per Ruricolam, mollitiem quamdam effœminatam intelligi suo loco diximus inter quadrupes, tum ob timiditatem, tum ob pulpamenti copiam, quorum utrunque fœminarum proprium, cum audacia virilis omnino sit. Caro enim pars fœminea dicitur. Neque postremi nominis Philosophi sunt, qui ossa à mare, carnem à fœmina procreari velint, & ad embryi coagulationem utriusque concurrere genituram. Facit præterea ad effœminationis significatum, quod Hippon Philosophus ex fœminibus tenuibus magis fœminas, ex densioribus mares fieri contendit: quod tamen eorum dissertationi relinquimus, qui naturæ secreta altius rimantur. Nam cum sint, qui totam hanc fabricam ex mare constare dicunt, neque fœminam præter fomentum quicquam aliud conferre de suo. Anaxagoras tamen, Parmenides, Empedocles & Epicurus, aliquid etiam ex parte matris ad generationem accedere asseruerunt: præcipue vero Alcæon, sed, ut Censorinus ait, is non definite se scire confessus est, ratus neminem posse perspicere.

De die nat.
c. 4.

SPONGIA. CAP. XXX.

SED cur Spongiam prætereamus, quæ & ipsa inter aquatica enumeratur animalia: utpote quæ refugiat ad tactum, seque in angustum colligat? Utrumque vero, sua hæc habet hieroglyphica.